



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm I. Vt bigami.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

# TITVLVS XXI.

## DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

### CAPITVLVM I.

#### Vt bigami.

##### SYMMARIVM.

1. Bigami sunt irregulares.
2. Item qui publicam pœnitentiam ob crimen egerunt.
3. Et qui ab altero viro repudiatam uxorem duxit.



1 **V**t bigami sunt, seu alteram uxorem duxerunt ac cognouerunt, & qui pœnitentes sunt, seu publicam pœnitentiam egerunt, & qui ab altero viro repudiatam uxorem duxerunt, irregulares censendi sunt. Consentit c. ex pœnitentibus, 55. d. 50.

- De bigamis non ordinandis habetur in c. 2. & seqq. d. 26. in c. præcipimus, & seqq. d. 34. & dixi copiosè lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 6.
- 2 De ijs, qui publicam seu solemnem pœnitentiam ob crimen egerunt, non ordinandis habetur in cit. c. pœnitentibus, & docui lib. 5. tr. 6. c. 7. n. 6.
  - 3 Denique de uxore ab altero viro repudiata, seu relicta, quod qui eam duxerit & cognouerit, Clericus fieri non possit, habetur etiam in c. si quis viduam, 8. d. 50. Potest autem id duobus modis intelligi: Primò, quod dimissa fuerit, quia matrimonij vinculum non consistebat, propter impedimentum dirimens, tunc qui eam duxerit & cognouerit, interpretatiuè bigamus & irregularis est, sicuti qui aliam à quocunque viro præter se cognitam, seu corruptam duxerit. Secundò, si repudiata ac dimissa sit per diuortium, non dissoluto vinculo substantiali, tunc qui eam, marito eius adhuc viuente, inualidè duxerit, & maritali affectu cognouerit, quasi biga-

mus censetur, & irregularis est, arg. c. nuper, hoc tit.

### CAPITVLVM II.

#### Super eo.

##### SYMMARIVM.

1. Bigamus promotus ad sacros ordines, penitus est ab ijs amouendus; nec licet cum eo dispensare.
2. Potest tamen Papa dispensare in irregularitate bigamia; non solet tamen, nisi ex grauissima causa; licet facilius dispense ad minores ordines accipiendos.

**S** Bigamus ordinatus sit, ordinans potestate, & officio ordinandi priuandus est: at verò ordinatus, si ad ordines sacros promotus fuit, penitus est amouendus: Neque enim cum bigamis contra Apostolum dispensare licet, vt vel ad ordines sacros promoueri, vel promoti in ijs ministrare possint. Sed cum ordinatore, vt ordinandi potestatem reciperet, dispensare licet.

Loquitur hîc Lucius de ordinibus sacris, de quibus Apostolus ad Timoth. cap. 1. Vt Episcopi, quo nomine etiam presbyteros comprehendit, atque Diaconi non creentur, nisi monogami, id est, qui præter vnâ uxorem, aliam non habuerint.

Difficultas autem est, vtrum Papa dispensare possit in irregularitate bigamiae. Aliqui Canonistæ negant, vt videre est in Gl. vet. dispensare, quia Lucius III. in hoc. cap. ait, quod contra Apostoli præceptum dispensare non licet. Sed affirmandum est cum Innoc. hîc, Gl. in c. lector, 18. d. 34. Anchorano in c. 1. de bigamis, in 6. S. Thom. Soto, & alijs in 4. d. 27. q. 3. a. 3. Quia Papa dispensare potest in omni iure Ecclesiastico, etiam ab Aposto-